



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XLVIII. Argumentum. Quis ex re per Usuram acquisita sæpe nascuntur fructus; ideò disputatur, an eorundem Usurarius Dominus fiat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

cap. 20. numer. 157. Azor. dict. cap. 11. in fin. Trullench. in Decal. lib. 7. cap. 19. dub. 17. num. 2. quod absque ulla hæsitacione scripserunt etiam Jurisperiti Leotardus de Usur. d. quæst. 95. num. 5. Ugolin. d. cap. 12. §. 1. num. 4. & Menoch. d. conf. 300. num. 31.

Resolutio argumentorum primæ opinionis, brevitatis causa, omittitur, quæ à volentibus legi poterit apud Molin. d. disput. 326. apud Salas dict. dub. 38. & apud Menoch. dict. conf. 300. Similiter responsiones ad agumenta secundæ opinionis extant apud Card. de Lugo dict. disput. 25. à num. 206. & seqq.

24. Cæterum ex huc usque dictis, notare animarum Rectores debent, quantum sit eis vigilandum in audiendis confessionibus tum fœneratorum, tum eorum, qui à fœneratoribus bona recipiunt; si vè oneroso titulo, si vè lucrativo, siquidem hi omnes tenentur ad restitutionem rei usurariæ. Leotard. de Usur. dict. quæst. 95. num. 32. & 35. & non solum ipsius rei, sed etiam fructus ejusdem; etiam si fuerint bonæ fidei possessores in illa summa, in qua facti sunt locupletiores; ut plenè demonstrat DD. de hac re agentes, & præcipuè Ugolin. de Usuris d. cap. 12. per totum, & Clerus nos. in Decis. 48. prox. seq. Et ex hac etiam annotatione desumere poterunt DD. Parochi argumenta ad oburgandos in suis concionibus contractus illicitos, usurarios, & fœneratios, ex quibus præter lethalem culpam tantis obligationibus afficiuntur omnes, qui res usurarias attingunt: adeo ut non absque causa majores nostri scripserint, Usurarios omnibus esse odio, & apud cunctas nationes habitos viles, abjectos, & vituperabiles, ut universa eorum bona dicerentur bona diaboli, & abhorreret quilibet aspiciendo eorum domum vel agrum; nemo de eorum domo ignem sumeret, nemo ab eis in Ecclesia osculum pacis acciperet, & de occursum eorum pueri expaverent; Unde non mirum, si ut plurimum Usurarii velut animalia bruta moriuntur, imò quandoque terribili Dei judicio à dæmonibus rapiuntur; teste D. Antonin. in tract. de Usur. in princip. num. 30. & seqq. Peguera decis. 31. num. 19. Marian. Socin. in rubr. de Usur. num. 28. & novissimè Illustriss. Episcop. Sperellus decisio. 116. numer. 27. & 28.

DECISIO XLVIII.

ARGUMENTUM.

Quia ex re per Usuram acquisita sæpè nascuntur fructus; idè disputatur an eorundem Usurarius Dominus fiat.

SUMMARIUM.

1. Fructuum quintuplex divisio. Et quæ?
2. Fructuum naturalium rei Usuraria Usurarius non fit dominus.
3. Fructus, & fructuum fructus ab Usurario restituendi.
4. Expensa in fructibus colligendis retinentur ab Usurario.
5. Triticum ex usura seminato Messis est seminantis.
6. Fructus Civiles Rei Usuraria non sunt Usurarii.
7. Fructus Industriales è re Usuraria cujus sint?
8. Fructus non percepti ob negligentiam è re Usuraria restituendi.

9. Fructus, quos mutuatarius non percepisset, an restitueret?

10. Radix qualis, rami tales.

11. Commodum ex sua iniquitate nemo debet reportare.

12. Res empta sequitur naturam pecunie, qua emitur.

13. Possessiones Usurarium vendenda pro restitutione Usurarium.

14. Res empta cum aliena pecunia est emptoris.

15. Res sterilis eam laboranti fructificat.

16. Usurario veniunt fructus rei empta cum pecunia Usuraria, sed restituere debet ipsam pecuniam cum damno emergente, ac lucro cessante.

Quæritur itaque, An Usurarius acquirat Dominium fructuum ejusdem rei Usuraria?

Restringendo, quæ sparsim pro resolutione hujus Quæstionis scripta fuere per Clerum nostrum; cum in quintuplici differentia sint fructus, de quibus quæritur, videlicet, Naturales, Civiles, Industriales, Neglecti ab ipso Fœneratore, & Neglecti à Mutuatario; idè notandæ sunt quinque conclusiones.

Prima conclusio. Fructuum naturalium (illorum scilicet, qui à natura proveniunt, ut planta, poma, glandes, nuges, herba, fœnum, partus animalium, & similia. leg. Fructus 45. ff. de Usuris. Sanchez in decal. lib. 2. cap. 23. à num. 48.) è re Usuraria collectorum Usurarius non acquirit dominium; sed sunt mutuatarii, à quo rem illos producentem accepit; & idè eidem mutuatario debet eos restituere. S. Thom. 2. 2. quæst. 78. art. 3. Molin. disput. 327. num. 4. Salas de Usur. dict. dub. 39. num. 2. Jo. Baptista Lupus cod. tract. Comment 4. §. 3. num. 57. & Leotard. dict. quæst. 95. num. 12. ubi plures text. allegat, & num. 13. subdit, non solum fructus, sed etiam fructuum fructus esse à fœneratore restituendos; puta, si fortè pecora, vel vaccas, aut animalia, quæ pariunt, & faciunt fructus per fœnus extorserit; exemplo ejus, qui alienam hæreditatem invasit, & possidet, quem partus partuum restituere debere constat ex l. Quod si oves 29. ff. de Petir. hered. & ex l. Illud 43. §. Prado. cod. tit. quod docent etiam Garz. de expens. cap. 23. num. 47. & Munoz de Ratiocin. cap. 18. num. 3. Cum enim primi partus sint mutuatarii, consequens est, ut ejus etiam sint partus, & fœtus alii ex primis provenientes.

Cæterum hic tria notanda sunt. 1. Quod Usurarius potest sibi retinere sumptus, quos fecit in his fructibus colligendis; hoc enim etiam furi, & prædoni conceditur ob naturalem æquitatem l. Fundus, § 2. ff. Famil. herciscunda. leg. Fructus 7. ff. Solut. marim. d. l. Si à patre. 39. in fine ff. de Petir. hered. Beroius in cap. Naviganti. num. 76. de Usur. Salas dict. dub. 39. num. 2. Rebellius dict. lib. 8. quæst. 15. numer. 2. & Abb. in cap. Ad nostram n. 8. in fin. De rebus Eccles. non alien. 2. Quod si fœnerator coluisset agros per fœnus extortos, & in restitutione eorundem, ac fructuum perceptorum prætenderet partem colonicam, id est dimidiam partem fructuum pro cultura, & sumptibus non esset audiendus, non enim haberi debet tanquam colonus partiarus, cui cum domino quædam quasi societas est. l. Si merces 28. §. Vis major. ff. Locat. Sed tractari debet tanquam malæ fidei

dei possessor, eidumtaxat sumptus, & pretium sui laboris concedendo ex doctrina Baldi, & Saliceti in l. Si quis sciens 11. numer. 1. C. de rei vindic. quos refert, & sequitur Leotard. de Usur. d. quast. 95. numer. 31. 3. Quod si fœnerator triticum ex usura extortum seminasset in agro suo; fructus, & messis ex hoc semine extorta non esset restituenda; sed sola quantitas tritici extorti per usuram; talis namque messis non est fructus præditi tritici, sed fructus agri sui juxta textum in l. Qui scit 25. in princip. ff. de Usur. ut notat idem Leotard. d. quast. 95. num. 15. & Salas de Usur. d. dub. 39. num. 4. & 5. ubi tamen advertit, quod si interim tritici usurarii acquisiti pretium creverit, incrementum cedit mutuuario, licet in illud tempus non fuisset ipsum servaturum, nam dominus est, & incrementum valoris rei pertinet ad dominum.

6. *Secunda Conclusio.* Civilium fructuum è re Usuraria provenientium fœnerator dominium non acquirit. Tales sunt, qui non industria hominis, aut beneficio naturæ proveniunt; sed vigore juris, nempe pensiones domorum, livelli, vecturæ equorum, navium, & similia l. De fructibus. 18. ff. de Donation. inter Vir. & Vxor. l. Divorrio. 8. §. De pensionibus. ff. Solut. Matrim. Ant. Pichard. lib. 2. Instit. tit. 1. §. si quis à non domino 34. num. 7.

7. *Tertia Conclusio.* Fructuum verò, quos è re usuraria fœnerator per industriam suam percipit, dominium acquirit: cum hac tamen obligatione, ut præter restitutionem ejusdem rei usurariæ, teneantur restituere Mutuatario totum lucrum cessans, vel damnum emergens ex eo, quod res illa restituta non fuerit. S. Thom. 2. 2. dist. quast. 78. artic. 3. Angel. Verb. Usura 1. num. 55. Sylvestr. eod. Verb. 6. quast. 2. Rebell. dist. lib. 8. quast. 15. num. 4. qui exemplificant de pecunia fœnebris, quam negociando Usurarius industria sua reddit sibi fructiferam; & Maftrius in Theol. moral. d. disput. 5. num. 85. ubi dat exemplum de Instrumento artificis, cum quo quis alius laborando lucrum perciperet, nam tenetur quidem ad restitutionem Instrumenti, lucrive cessantis, aut damni emergentis vero domino; non etiam utilitatis ex suo labore perceptæ. l. Si ex ea pecunia 6. C. de Rei Vindic. & l. 1. C. Si quis alteri, vel sibi.

8. *Quarta conclusio.* Ulterius fœnerator tenetur restituere etiam fructus, quos ex re Usuraria neglexit percipere; si dominus eos percepturus fuisset; quod omnes DD. notant per l. Præterea 20. ff. de Rei vindic. & l. Si navis 62. & Generaliter eod. tit. Rebellius dist. lib. 8. quast. 15. num. 3. Reginald. lib. 10. num. 396. Molin. 327. num. 4. Salas d. dub. 39. num. 2. in fin. Leotard. d. quast. 95. & Ugolinus de Usur. capit. 16. num. 4.

9. *Quinta Conclusio.* Tandem fœnerator debet restituere etiam fructus, quos mutuarius non fuisset percepturus è re sua, si ex eadem re per usuram extorta fœnerator ipse poterat percipere, & non percepit. Leotard. dist. quast. 95. à num. 24. & seqq. ubi hanc conclusionem firmat juribus, & rationibus; & quamvis Theologi communiter contrarium teneant, eò quia in tali casu fœnerator non videtur obligatus ratione rei acceptæ, nam ex ea fructus

non habuit, damni illati, cum mutuarius nihil esset ex eadem percepturus. Rebell. dist. lib. 8. quast. 15. & Salas dist. dub. 39. numer. 2. Nihilominus à nostra conclusione non est recedendum; siquidem in possessore malæ fidei exiguntur etiam fructus, quos Dominus neglexisset; id enim domino licebat. l. in re mandata 21. C. Mandati. Sed ipsi malæ fidei possessori hoc non licet, l. Si quid 34. §. sicut. ff. de Petir. heredit. & tenetur de culpa, & negligentia. §. 2. Instit. De offic. Judic. l. Sed etsi 28. §. 4. de Pet. hered. l. Dominum §. C. de Rei vindic. l. Si pupilli 6. in fin. ff. de Negot. gest. l. Ea igitur 13. de Pignor. act. Bart. & Bald. in l. Domum. C. de Rei Vindic. Boer. decis. 268. Garzias de expens. cap. 23. numer. 50. Leotard. d. quast. 95. numer. 24. 25. & 26. & Anton. Pichar. Institut. lib. 4. tit. 17. §. 1. & 2. n. 66. & 67.

Sed quid dicendum ad sequens quæsitum? Scilicet. An Usurarius dominium acquirat fructum rei emptæ pecunia Usuraria?

Aliqui negarunt.

Primò. Quia si radix sancta, & rami. Rom. 11. Ergo. Si radix infecta, & rami. Sed pecunia Usuraria est injustè acquisita, & obnoxia restitutioni. Ergo & res emptæ ex illa.

Secundò. Nullus debet commodum reportare ex iniquitate sua, l. 1. ff. de Dolo l. Non 11 fraudantur. De Reg. Jur. sed Usurarius reportaret commodum ex iniquitate sua. Ergo.

Tertiò. Res emptæ per pecuniam Usurariam, succedit in locum illius pecuniæ. l. Si & rem. 12. 25. ff. de Pet. hered. Sed ejus pecuniæ Usurarius non erat dominus, ut firmavimus supra ad primum Quæsitum, Ergo nec rei emptæ cum illa, Et hanc opinionem tenent, Altifiodor. & Hostien. in cap. Tua nos. De Usur. Bald. in l. 1. C. Pro socio, & Dec. in l. Certa conditio. §. ult. n. 3. ff. Si cert. petat. nec non Molin. disput. 327. numer. 1. & Salas de Usur. dist. dub. 39. numer. 1.

Alii affirmarunt.

Primò. Per text. in cap. Cum tu, §. De Usuris, ubi Alex. III. præcipit, quando non sunt alia bona, unde Usuræ restituantur, vendi possessiones ab usurario emptas per pecuniam usurariam, ut restituantur usuræ. Ergo re vera possessiones illæ erant usurarii, & non venditoris aut mutuarii. Salas de Usur. d. dub. 39. sub. num. 3.

Secundò. Per text. in l. 1. & in l. ultim. C. 14 Si quis alteri, vel sibi. in l. Quamvis. 17. C. de Pignorat. act. in l. Ad probationem 21. C. de Probat. in l. Si ex pecunia. 6. Cod. de Rei vindic. In quibus juribus habetur, rem emptam, etiam mala fide emptoris ex pecunia mea, non esse meam, sed esse ementis. Ergo rem emptam pecunia usuraria erit usurarii.

Tertiò. Res, quæ de sui natura est sterilis, sed ex industria alicujus fructificat, hæc non domino, sed operanti fructificat. Salas dist. dub. 39. numer. 3. Molin. dist. disputat. 327. num. 5. 6. 7. Sed pecunia est de se sterilis. Ergo si quem fructum reddit ex industria usurarii cum ea aliquid ementis, ipse rei emptæ habet dominium.

Hanc affirmativam opinionem recipit Curia 16 nostra; est enim communis apud DD. Molin. & Salam ubi proximè; Rebell. d. lib. 8. quast. 15.

15. num. 4. Sylvest. *Verb. Usura* 6. *quæst.* 2. Covar. 3. *Resol. cap.* 3. num. 6. & Tamburin. *de Tripl. Jur. d. lib.* 9. tract. 1. cap. 7. §. 1. num. 13. & Magistrum in *Theolog. Moral. d. disput.* 5. num. 86. Qui omnes tamen advertunt, fœneratorem obligatum esse non solum pecuniam usurariam restituere mutuuario, sed etiam damnum emergens eidem, vel lucrum cessans, ob dictæ pecuniæ detentionem.

Neque obstant argumenta contraria.

Non Primum. Quia pecunia usuraria non est radix, sed materia, per quam industria operantis rem acquirit, & argumentum procedit in radice naturali, secus autem in metaphorica, ut ait Salas *d. dub.* 39. num. 4.

Non Secundum. Quia licet principaliter quis non debeat ex dolo suo commodum reportare, ex accidenti contrarium permittitur, prout est lucrum ex meretricio actu. Salas, Rebell. & Molin. *ubi sup.*

Non Tertium. Quia procedit in Juribus universalibus, ut hæreditatibus, vel fideicommissis. Molina *d. disput.* 327. in fin. & Rebell. *d. lib.* 8. *quæst.* 15. num. 5. vel axioma illud esse intelligendum non respectu unius, & ejusdem domini, sed diversorum juxta legum dispositionem. Salas *d. dub.* 39. num. 4. Vers. Facilius tamen respondetur.

DECISIO XLIX.

ARGUMENTUM.

Disquiritur, An lucrum majus, sed incertum, possit emi minori lucro, sed certo? Item an credita difficilia vendi possint minori pretio?

SUMMARIUM.

1. Affecuratio lucri incerti per minus lucrum certum an licita? & num. 7.
2. Societatis natura quanam sit?
3. Sixti V. Bulla contra pacta illicita in Societatibus.
4. Contractus trium contractuum an licitus? Rationes, quod sit.
5. Periculum rei in quocunque contractu potest ex pacto pertinere ad accipientem illam.
6. Socius unus an possit nolle sentire partem damni?
7. Conditiones dua servanda in contractu trium contractuum affecurationis.
8. Credita difficilis exactionis an vendi possint minori summa?
9. Affirmativa opinionis rationes. Negativa num. 10.
11. Difficile si non sit emptori, quamvis venditori, an licitum?
12. Equus ferox an vili pretio emi possit ab eo, qui scit illum domare?
13. Minori pretio potest creditum emi propter pericula litium.
14. Divites, ac potentes, qui defatigant creditores suos, peccant.

Mercator petit a te Ducatos mille ad mercaturam prosequendam; asserens, & offerens tibi ex ea sexdecim Ducatos lucri pro centenatio posse obvenire. Tu Ducatos octo pro centenatio, sed certos, cum Mercatore predicto habere pacisceris. Queritur, An absque labe fœneratitia?

Quia de justitia hujus Casus magna est controversia, & variz Doctorum Sententiæ, ideo discordantia fuerunt responsa studentium; alii enim in eo agnoverunt labem fœneratitiam, alii

Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

illum tanquam immunem ab ipsa patrocinati sunt.

Labem fœneratitiam esse in hoc casu pluribus visum fuit. Quia

Primò. Ibi est fœnus, ubi est mutuum cum lucro. Sed hic casus continet mutuum cum lucro. Ergo in eo est fœnus. Minorem probat Sotus *de Justit. & Jur. lib.* 6. *quæst.* 6. art. 2. ex eo, quod per affecurationem pecuniæ à mercatore recipiente factam, censetur in eum translatum pecuniæ dominium, saltem virtualiter; ita ut pro suo libito de ea disponere possit, ac si mutuo eam recepisset.

Secundò. Tunc fœneratitia labes in hoc casu non esset, si societas contracta fuisset. Sed consequens dici non potest; siquidem formalis ratio societatis est, ut æquale sit damnum, & lucrum inter socios. §. *De illa. Inst. De Societ. l. Verum.* 63. ff. *Pro socio.* Ergo neque antecedens.

Tertiò. Si licitus appellaretur hic casus, magnum aperiretur ostium usuris; nemo enim mutuari amplius vellet, sed sub colore negotiationis lucrum ultra fortem pacisci. Rebell. *de oblig. Just. lib.* 15. *quæst.* 4. Ergo.

Quartò. In Bulla Papæ Sixti Quinti, Incipien. *Detestabilis Avaritia*, (quæ est 45. in 2. tom. Bullar.) illicitum declaratur pactum, quo ab uno socio conferente capitale exigitur lucrum certum etiam in casu, quo nihil lucri haberetur. Sed tale est pactum in nostro casu. Ergo. Ideò ita sentiunt Abb. in cap. *Per vestras* num. 11. de Donat. Sotus *ubi supra.* Azor. 3. part. lib. 9. cap. 3. *quæst.* 9. Rebell. alios allegans *d. lib.* 5. *quæst.* 4. Reginald. cap. 29. num. 398. Lopez, Parlador, Malder. & alii apud Leotardum *de Usur. quæst.* 31. num. 12.

Nihilominus nullam esse fœneris labem in supradicto casu alii plurimi scripserunt, suppositis in eo illis tribus contractibus, quos fieri debere docet Navar. in *Man. cap.* 17. à num. 254. Primum scilicet societatis, secundum affecurationis capitalis, & tertium certi lucri ad tollendas molestias, & suspiciones computorum; relinquendo pro his duobus ultimis contractibus aliquam lucri portionem mercatori affecuranti pro compensando suscepto periculo: Nam.

Primò. Hi tres contractus ita secundum se liciti sunt, ut si cum diversis personis fiant, reprehendi non possint. Cardinal. de Lugo *de Justit. & Jur. disput.* 30. num. 4. Ergo à reprehensione immunes quoque esse debent, si spontè, & absque malitia inter eosdem socios firmentur.

Secundò. Omnes contractus sunt liciti, in quibus servatur æqualitas inter contrahentes, & si alicui majus periculum detur, eidem per majus lucrum compensatio concedatur. Lessius lib. 2. cap. 25. num. 26. Molina *disput.* 417. & est text. in *l. Mutius. ff. pro socio.* Sed ita fit in casu isto. Ergo licitus est censendus.

Tertiò. De natura commodati, locati, & depositi est, ut periculum rei traditæ spectet ad dominum ejusdem rei; & tamen fas est pacisci sub justa mercede, ut totum periculum ad recipientem pertineat. Ergo similiter in societate. Ita Molin. *d. disput.* 517. num. 2.

Quartò. Allegant DD. cap. *Per vestras.* de Donat. inter *Vir. & Uxor.* ubi præcipitur, dotem uxoris tradi mercatori ad securam negotiationem. Sed non convincit hic textus, quia potest intel-

L

ligi